









81  
MEMORIAM NUNQUAM INTERMORITURAM

V I R I

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

à SOMMERSBERG,

CONSULIS CIUITATIS VRATISLAVIENSIS ATQUE SENATORIS

QUONDAM PRIMARI,

PRAEMISSA


DE EQUO BELLATORE SEU MILITARI

DISSERTATIONE,

RENOUAT ET COMMENDAT

ERNESTUS SAMUEL SACHS à LOEWENHEIM.

VRATISLAVIAE, EX OFFICINA GRASSIANA



MEMORIAM NUNQUAM INTERMITTURAM

VIRI

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI

FRIDERICI GUILIELMI

Si TUO fas est tumulo euocare

TE, SOCER; paruum, TIBI sed dicatum,

Laudibus maior, TIBI quae parantur,

Accipe foetum.

QUONDAM PRIMARII

PRÆMISSA

DE EQUO BELLATORE SEU MILITARI


DISSERTATIONE

RENOUAT ET COMMENDAT

ERNESTUS SAMUEL SACHS & LOWENHEIM

VRATISLAVIAE, EX OFFICINA GRASSIAE





**P**ei iuridicae latissimum esse, et immensi fere spatii, ambitum, apud omnes legitimae scientiae intelligentes in confesso est. Quam enim late patet, ad ea, quae hominis sunt, quomocumque pertinere posse, siue res ponas soli, siue mobiles, quae anima carent <sup>1)</sup>, aut propria se ui mouentes <sup>2)</sup>: tam prolixa, tam ampla est vocabuli illius in iure nostro acceptio. Sigillatim in numero rerum se mouentium seruos partim esse, partim animalia bruta, tum alibi demonstratum a nobis <sup>3)</sup>, tum ita comparatum est, ut apud iurium nostrorum gnaros vix probatione ulla egere uideatur. Animalia quidem in fera et mansueta, quumque in his emineant quadrupedes, has iterum in pecudum numero exclusas, et pecudes, quae gregatim habentur, isti partiuntur <sup>4)</sup>

Celeberrimus quondam Rousseau, noua quadam ratione, non seruis tantum, quod facit lex Aquilia <sup>4)</sup>, sed hominibus uniuersim exaequat quadrupedes, dum persuadere serio hominibus voluit, ipsos in statu naturali, perinde ac reliquas quadrupedes sic incedere uidemus, quatuor pedibus incessuros fuisse. Quod tamen ubi adseruit, anatomiae humanae parum se peritum esse

A 2

1) Vt loquitur l. 7. §. 1.  $\pi$ . de damn. inf. 2) L. 1. pr.  $\pi$ . de aed. edif. 3) Elem. nostr. iur. ciu. §. 14. \*) §. 1, I. l. 2. §. 2.  $\pi$ . ad L. Aquil. 4) l. 2. pr. et §. 2.  $\pi$ . eod.

prodidit. Postici enim pedes nostri ad eiusmodi incessum iusto longiores, brachia nimis breuia, manus nullius plane vsus forent. Sanguis ad caput nimis ascenderet. Deinde oculi nostri musculo carent, quo animalium gaudent, ad eosdem sursum trahendos; neque adeo tam amplus nobis foret visionis campus. Intestina haud ita ad spinam dorsi firmata, ac in animalibus, sed potius ad diaphragma. Palma, id est, manus explicata, non eandem adepta, quam planta pedis, cutem dariusculam, nec vertebrae genuum, ita, vt in animalibus, retrorsum, verum prorsum, flectuntur, vt adeo pedes non vt animalibus, in cubitu, prorsum extensos, ventri substernere nobis detur. Per celeberrimum ergo Rousseau liceat nobis porro in bipedum numero esse. <sup>5)</sup>

In quadrupedibus, quae pecudum numero sunt, et gregatim habentur, iumenta eminent, Graecis ὑποζύγια dicta. Iumenta scilicet, siue pecudes iugales, sunt, quae vel equitationi inseruiunt, vel curribus et vehiculis iunguntur: in quibus, licet mulas primum coepisse iungi curribus et vehiculis, ex Festo obseruet Gothofredus <sup>6)</sup>, equi tamen facile principatum tenent: de quibus, potissimum de Equo bellatore seu militari, quaedam in medium proferre, bellicoso hoc nostro tempore, operae pretium esse duximus.

Novimus equidem, B. Aug. Leyserum discrimen illud, quod Juris Romani interpretes inter animalia fera et mansueta statuunt, obelo notasse <sup>7)</sup>, tum vniuersim omnia animalia sua natura fera esse, tum specialiter id de equis opinatum, quorum serum aliquod genus in Hispaniae citerioris regionibus, et in America nemora deprehendi scribit, plena equorum, qui, olim domestici, deinde casu vel sponte liberati, a feris animalibus nulla in re differant, et venationes quotidianas patiantur.

Verum enim vero, quemadmodum columbarum generaliter est fera natura, licet columbae aliquae sint, quae sigillatim ferae vocantur <sup>8)</sup>: ita fieri quoque posse existimamus, vt equorum generaliter mansueta natura sit, licet dentur forte nonnullibi equorum genera minus mansueta <sup>\*)</sup>: quibus tamen quid.

- 5) Der Arzt, 109. St. 73. f. C. Cum nobis sentit M. I. G. Steebius im Versuch einer allgemeinen Beschreibung von dem Zustande der ungesitteten und gesitteten Völker, nach ihrer moral. und physikalischen Beschaffenheit, Carlshruhe, 1766. 6) ad L. 38. π de aed. ed. not. t. 7) in d de iure priuatorum circa occupationem, habita Helmsf. 1727. c. II. n. 1. p. 16. sq. 8) §. 15. I. de rer. div. l. 5. §. 5. π. de adquir. rer. domin. \*) Nam et ita argumentatur Justinianus §. 16. I. d. R. D. Gallinas esse mansuetas.



quidquid feritatis in esse videtur, solitudini potius loci, in quo degunt, quam naturae eorundem tribuendum est. Libertatis certe animalia quaevis amantissima sunt; cui tamen, quorum natura mansuetata est, in commodum hominis facilius renuntiant, cibo praesertim, ac si dicere fas est, familiaritate hominum potius, quam catenis atque verberibus, et ita, ut sponte sua quandoque agere ipsi permittatur, per aliquod tempus cicurata 9).

Carolus Linnaeus, solertissimus ille quondam rerum naturalium indagator, in regni animalis, in varias ab ipso classes digesti, prima classe, quam quadrupedibus adsignat, eiusdemque ordine quarto, iumenta posuit, Thiere mit Pferdegebiss: quorum illud quidem genus, ad quod equos referre ipsi placuit, variis iterum speciebus praegnans, e mammis duabus inguinalibus, et pedibus integris, siue unguibus solidis, ungespaltenen Klauen, dignoscere iubet 10): quadrupedibus solidungulis equos ideo adnumerante Iohanne Cunrado Creilingio. 11)

Huius sane animalis domi militiaeque tanta tamque eximia est, et commoditas, et in itineribus faciendis, praesertim longis, aliisque vitae necessitatibus 12) utilitas, licet non sine hominum, illud pascentium domantiumque, opera facile percipienda 13), ut eo non carere, nisi aegre, potuisse humanum genus videatur, denturque adeo vel integrae gentes, v. c. Tartarorum inculta natio, quae, nisi in equis alendis, orbique cultiori venditandis, operam suam collocaret, nihil fere utilitatis humano generi praestaret, a magna illa, quae homines mutuis inter se officiis et necessitatibus conciliat coniungitque, societate veluti disiuncta.

Quae quidem ratio tum id effecisse videtur, ut nec summos veteris aevi Philosophos puduerit, exemplo Xenophontis, lectu dignissimos περὶ ἵππων et ἵππευτικὰς λόγους ad posteros transmittere; tum sagacissimos iuris Romani conditores permouisse, ut equorum toties in Legibus mentionem facerent: tantum abest, ut has curas philosopho indignas, Themidos maiestatem parum decentes, et vel militantium ordini, vel veterinariam profitentibus, vel ruricolis, solum relinquendas esse iudicauerint.

A 2

Certe,

9) Iulianus libr. de Caesaribus in Probo. 10) Syst. nat. ed. Lang. p. 46. 11) in comp. phys. defin. P. Specialiss. §. 885. p. 341. 12) L. fin. π. commod. De vsu equorum v. Ioa. Alb. Fabricii Bibliographiam antiquari im edit. Schafshausen c. XVII. 13) Cicero Offic. L. II. c. 4.



Certe, qui vel Legis Aquiliae; qui pauperie a quadrupedibus datae; qui edicti aedilitii de vitiiis morbisque pecorum venalium, quorum illa proprie animam, hi corpus adficiunt <sup>14</sup>); qui tandem criminis abigeatus, quod de gregibus aut a stabulo pecora abducentes committunt, cuique equum vel vnum abigentes obnoxii <sup>15</sup>), meminerit, de equis, qui Romanis in dominio erant Quiritario, haud indigna lectu statuisse Leges, non differebitur.

Ultra vero sciscitanti ipsi in Legibus his invenire dabitur, tum perfectae et maturae aetatis equos, tum et sub foetus equarum <sup>16</sup>), qui et in hac specie ventrem sequitur, et in fructu numeratur <sup>17</sup>), sub equulorum siue eculeorum denominatione, qui eo aetatis nondum peruenere <sup>17</sup>); et in illorum grege, partim equitationi inseruientes, partim carrucarios <sup>18</sup>), siue temonarios, vnius pluriumue, vt ita dicam, graduum, sicque bigas, trigas, quadrigas <sup>19</sup>), seiuiges <sup>20</sup>). Quidquod et poliam, siue equorum gregem, cuius singula corpora separari facilius et seorsim haberi sine dispendio poterant, aliquando veniisse reperiet.

Equi hinnitum fremitumque calcitrosi qui meminerit, summam Legis XII. tabularum aequitatem, vt eiusmodi equus, si quem calce percusserit, domino damnum refarcire nolente, noxae dedatur, decernentis, mirabitur <sup>21</sup>).

Equorum denique tum corpora <sup>\*)</sup> tum vtilitates, ex iis percipiendas, et sic

- 14) L. 4 §. 3. l. 38. π. de aedil. Edicto. 15) L. 1. §. 1. l. vlt. π. de abigeis. 16) L. 5. §. 2. π. de Rei vind. l. 48. §. 6. π. de furt. <sup>\*)</sup> L. 2. π. de extr. cogn. et L. 10. C. quod cum eo, qui in aliena etc. 17) §. 38. l. de rer. diuis. L. 14. §. 15. π. de furt.
- 18) tt. r. C. de honorat. veh. Oecurrit etiam haec vox vna cum ea, a qua descendit, in l. vxori 13. π. de auro, arg. mundo etc. et in L. Aediles 38. §. Quaesitum 8. π. de aed. cd. de mulis, quae carrucae iunguntur, quae et rhedariae à Varrone dicuntur, notante Gothofr. ad d. l. 38, §. 8. not. t. quemadmodum carrucarii vox, sine addito, eum, qui carrucam regit, qui et alias cisharius dicitur, denotat L. 13. pr. π. loc. et in corporibus iuris, ad exemplar Florent. editis, carrucha et carrucharius plerumque legitur. 19) l. 58. pr. pro foc. §. 10. l. et l. 22. §. 1. π. de L. Aqu. l. 65. §. 1. π. de leg. ll. l. 10. §. 8. π. qu. mod. vsufr. etc. 20) v. Ioa. Iac. Moserum von dem Rechte und der Gewohnheit mit 6 Pferden zu fahren, in ej. Abhandl. verschiedner besondern Rechtsmaterien, et Stiebes Hofceremoniel p. 648. 21) pr. l. l. §. 4. π. si quadr. paup. <sup>\*)</sup> L. 65. §. 6. π. de leg. III.



balteos equitantium, chlamydamque fibulas, ne praetermissis quidem cucurniis seu equorum phaleris <sup>35</sup>), descendere voluisse Ictorum, quid? quod imperatoriam sollicitudinem <sup>36</sup>), id vero, quantum operae in luxu civium <sup>37</sup>), equestri circumscribendo olim datum fuerit, palam indicat: ut nihil hic de equis dicamus publico cursui deputatis, siue ad angarias et parangarias <sup>38</sup>), destinatis, quos quidem, peculiari vocabulo, veredos, sigillatim maiores, eosdemque agminales <sup>39</sup>), vti quibusdam videtur, paraveredos, seu parafredos — vnde forte Gallorum palefroy et palefrenier — dictos fuisse, et quomodo tum eorum ipsorum, tum, qui eos curabant, hippocomorum, aduersus parrhippos aliosque Tutelam mansueta legislatione susceperit imperatoria maiestas, titulus codicis de curs. publ. et ang. et par. satis superque edocet.

Denique et illud commemoratione dignum nobis visum est, quum actioni de passu vulgo locum esse velint, si cui secundum naturam generis nocuerit animal, et sic illae equorum in alieno pabulationes iure civili omnino vapulent; Fridericum tamen Imperatorem, in decantatissima de pacetenda constitutione, equitibus, proxime tamen secundum viam, et vrgentissima, vti videtur, necessitate coactis, alienis pabulis equos suos reficere permississe, <sup>40</sup>), Antiquiori ergo equi, quam homines, eodem necessitatis patrocinio ferius muniti <sup>41</sup>), suarum priuilegio gaudent.

Quod equidem scuti, Romanos magni fecisse equos, eorundemque curam gessisse singularem, abunde restatur; vti ne eos quidem arandi, quo hodie passim premuntur, alioque, non humano, onere grauatos ab iis deprehendamus <sup>42</sup>), caballis forte exceptis, qui in numero iumentorum dossuariorum erant, molasque praeterea versare iubebantur: ita eo minus vitio iis verti poterit, quo magis et alias gentes, quarum nonnullas excitabimus, eadem plane sensisse, monstrari facile potest.

Vt

- 34) l. 52. §. 20. ff. de furt. 35) quo in censu Homeri illud *μαγειον ἵππων*, maxillare ornamentum equorum fuisse videtur ll. d. p. m. 136. 36) tt. l. C. nulli licere in fren. etc. 37) Clericis idem inculcat c. 15. x. de vit. et hon. cleric. \*) v. Dan. Ortonis d. de iure publ. Imp. Rom. c. XI. p. 432. 38) quales ll. Sam. VIII. 4 sub voce *כבד* indigitari autumo. 39) ll. F. 27. c. f. 40) Const. crim. Car. art. 166. \*) Hinc in instrumento fundi boues et pecora stercorandi causa parata, non equi, dicuntur esse in l. 8. pr. ff. de instr. vel instrum. leg.

Vt enim folis equos praetereamus, Poëtis certe decantatissimos <sup>41</sup>), et nutritas ab Apolline equas <sup>42</sup>); vt equos taceamus Palladis, quum aduersus gigantes pugnaret, sanguine multaue caede confertos, vnde forte *ἵππεύας*, equestris, et frenatricis, ipsi nomina data sunt, et equi Trojani, veluti Palladii cuiusdam, fabrica ejus suasionibus tribuitur <sup>43</sup>); vt Venerem fileamus, armatam illam, et Lacedaemone coli quondam solitam, contra sexus sui morem equo insidentem, et *ἵπποδαμείας* titulo superbientem; vt, quam Ioui, de astrorum facile principi, equorum candidorum quadrigam credula superstitio adfixit, nonnisi verbulo commemoremus — vnde Camillus, totidem ejusdem coloris cum equis Romam ingressus, vt in Jouem Phoebumque iniurius reprehensus a populo legitur —; vt tandem Neptuni breuis tantum fiat mentio, Dei illius *εὐίππεος ἑοπέως*, quique primum ejus generis animal, cui Nomen Arionis <sup>44</sup>), percussa terra Tridente produxisse, et, si non a Centauris praeuentus, primus equos moderatus freno perhibetur; vt, missis numinibus his fictitiis, ad gentes humanas nostra se convertat oratio; Persas, penes quos vel regem aliquando, equi hincientis beneficio, rerum potitum, tralatitium est <sup>45</sup>), liberos suos, a quinto incipientes, vsque ad vicissimum annum, tribus tantum instituisse, in quibus ars equitandi primas tenet, Herodotus auctor est <sup>46</sup>).

Vnde et, quum Graecis Persae fuerint finitimi, vt inter studia, ad quae plerique omnes Graeciae adolescentuli animum adiungere consueuerant, referente Terentio <sup>47</sup>), illud fere princeps esset: equos alere, victoriae, in ludis Olympiis, cursus velocitate, instrumenta <sup>48</sup>), fieri facile potuit.

Parthos seruos suos pari, ac liberos, cura habuisse, vel maxime eo, quod equitare illos magna industria docuerint, Iustinus probat. <sup>49</sup>),

Arabes equos, quibus, si qua alia gens, durabilibus, longaque itinera breui tempore conficere idoneis, et forte Thraciis illis apud Homerum <sup>50</sup>), haud inferioribus, gaudent, tanti habent, vt non solum ingenti illos pretio vendant, verum etiam eorundem origines in tabulis seruent, in quas singulorum propagines et familias quasi magna cum sollicitudine referunt: generosis <sup>51</sup>),

## B

41) magni apud Persas aestimii, teste Iustino L. I. c. X. 42) quarum meminit Homerus II. β. p. m. 96. 43) Nat. Com. Mythol. L. IV. c. 5.

\*) Hinc in Libro, cui titulus: Description des pierres gravees du sen Bar. de Stofch, Class. II. Sect. V. n. 231. amethysto repraesentatur, equum Arionem, quem ibi Neptuno peperisse terra dicitur, freno tenens. 44) Justin. I. 10. 45) I. 136. 46) Andr. I. I.

\*) vnde Eleus sonipes v. Lucani Pharfaliae L. I. p. m. 10. 47) XLI. 2, 5. 48) II. k. p. m. 366. l. 35. 49) equos *εὐγενέας* memorat Phocylides in sent. circa fin. 50) L. IV. od. 4. 51) XLIV. 3.

esse in equis patrum virtutem, cum Horatio persuasi. <sup>50</sup>) Eandem Lusitaniae equis pernicitatem Iustinus adtribuit <sup>51</sup>), fabulam, qua iuxta fluvium Tagum vento equas foetus concipere creditum olim fuit, hac ratione explicans. Magni praefertim aestimant Arabes, et peculiari in dorso caractere, ac quadam quasi sanctitatis, et fiduciae, quam in illis habent, singularis nota signatos volunt, quibus apud sepulcrum Mahometi esse aliquando contigit. Cuius generis equum Turcicum anno MDCCXXXVIII. in Hungaria captum, ne quidem ducentorum Hungarorum lytro, nostrorum signorum milite, vilius oblatum pro illo pretium, existimante, redimi potuisse, meminimus. Perantiquus vero est ille equos signatos habendi mos, adeo, ut, quod hodiernum in equo bellatore quam maxime usu venit, aevo iam Anacreontaeo haud infrequens fuisse, doceri queat. <sup>52</sup>)

Germani, qui forte primo loco nominandi erant, licet Taciti fortassis aevo <sup>53</sup>), equi iis non forma, non velocitate conspicui, plusque penes peditem roboris fuerit, quid antiquius habuere equis, quos usque adeo magni eos fecisse constat, ut vel illorum, candidorum praesertim, quos in lucis, usibus profanis exemptos, alere moris erat, praesagia ac monitus quasi obseruare, sanctum aliquid iis et futuri prouidum inesse arbitrati, non dedignarentur <sup>54</sup>): eadem plane de Rugiis sigillatim referentibus Saxone Cranzioque.

Verum et recentioris aevi Germanos rei equariae aequae studiosos esse, restantur tot possim nostratium equitii curae et adparatus sumtuosissimi <sup>55</sup>), quid quod et statuta equis bene meritis in Germania <sup>56</sup>) monumenta.

Quo in censu et alios apud populos, veluti in Thessalia, Persia, alibique, equos, coloris praesertim albi, fuisse, tralatitium est.

Quis enim, ut adfirmationi huic fidem faciamus, quis Pegalum nescit, vngula Aganippen Musis aperientem? quis immortales Achillis equos? <sup>57</sup>) quis equos, in sacro codice, fortitudinis, generositatis, potestatis, belli, ecclesiae tandem eiusdemque status frequentissima pariter ac lectissima symbola. <sup>58</sup>) In quibus-

52) Anacr. od. vit. 53) teste eodem, de Mor. Germ. cap. 6. 54) l. c. cap. 10. §. 5.

55) V. Georg Hartmanns Pferde- und Maulthier-Zucht, nebst einer kurzen Beschreibung der H. Würtemb. hieser gehörigen Anstalten und Stutereien, Stuttgart. 1777. 8.

56) ac Anglia. deutsches Museum, März, 1782. p. 267. 57) ll. § p. m. 814. 58) cf. Ioa. Biermanni clauem apocalyptico-propheticaam p. 29. seq. et Matthaei Hofmanni. nostratis, chronotaxinapoclypt. p. 136. 150. 180. 233.

quibusdam etiam veteris Britanniae nummis equos, cum quodam diuinitatis caractere, mox cum luna falcata supra caput, mox alatos, mox cornutos, mox cum sacro pentagono sub pedibus conspiceri datur. Et Amphiarus, vates ille adeo insignis, vt vel ab ejus sepulcro posthuma quasi peterentur oracula, ante alios equis eminuisse, a Poeta canitur.<sup>59)</sup>

Prius tamen hippocentaurum esse, qui esse non potest<sup>60)</sup>, persuaderi nobis patiemur, quam, Romae equos quotannis, die D. Antonio, cuius sint in tutela singulari, sacra, aqua lustrali aut vnquam adspersos, credamus Anonymo Anglo<sup>61)</sup>, aut, si olim forte id factum, in tanta temporum nostrorum luce, idem adhuc vsu ibi venire existimemus: licet<sup>62)</sup> Ioh. Krausius, Iesuita Pragensis, equos furto ablatos precibus ad D. Antonium fufis, postliminio rediisse, patrum nostrorum memoria, publice scripserit.

Sed candidos prae caeteris equos \*) veteribus in pretio fuisse, supra diximus. Quo iure creditum hoc fuerit, et sulphurine, an sali, colorum ille in equis variorum fucus tribuendus, aliis, veterinariis<sup>63)</sup> praesertim discutendum relinquimus; non ignari tamen, perfacilem quandoque alius in alium coloris esse mutationem, exemplo equi scutulati subalbidi, *des weislicht apfels grauen Pferdes*, cujus in nigrum transmutandi rationem Sim. Pauli, superioris saeculi Medicus haud incelebris, in *Quadripartito Botanico* exponit<sup>64)</sup>. Pari ratione a potu vel lotura aquarum, alium atque alium pilis equi colorem adfricari<sup>65)</sup>, Christianus Friedericus Garmannus auctor est. Quod artificium sane, in praeseruandis a contagio, cui nullum magis quadrupedum genus obnoxium perhibetur<sup>66)</sup>, equis, si verum modo, luem non nisi in eiusdem pilis equos transire, et, mutato pilo, indice craseos, crasin simul corporis mutari, credibile esset, vtramque paginam faceret.

In tanto igitur, tamque amico, tot gentium, ingenio quamuis moribusque diuersissimarum, ea in re concentu; quis adhuc iniquas moreretur eorum cri-

B 2

mina.

59) Statio L. 7. Theb. p. m. 227.

60) §. 1. I. de inut. stip. l. 97. pr. π. de verb. obl. 61) in der Beschreibung des Quercifini ad calcem Itiner. Burnetiani p. 265. vers. germ. 62) Im Lutherschen Serupulanten, ed. Colon. 1715. 8. p. 199. \*) H. k. p. m. 360. l. 24. 63) L. vlt. π. de iur. immün.

64) Classe II. p. 340. 65) in Libro de miraculis mortuorum L. I. t. §. 24. sq. p. 10.

66) Ranold Jahrbist. von den Seuchen des Viehes, c. 3. §. 2. p. 29. sq.

minationes, qui equorum non nisi vitia crepant; quibus, vt pavidum, calcetofum \*), ferox, hominibusque aliquando, quibus pedibus conculcari equinis contigit <sup>67)</sup>, quid? quod integris gentibus, ceu equus ille Troianus <sup>68)</sup>, ferale ac nocentissimum, male audit hoc animantium genus; quibusque recentiori, quem annis ante circiter quadraginta in agro Misnico contigisse nouimus, equi ἀνθρώπο Φάγν καsu tragico veluti incrustata

fuccurrit crudi Diomedis imago,  
Efferus humana qui dape pauit equas <sup>69)</sup>.

Ex quo enim ἰππόδαμον esse, non Cycno tantum Hesiodi <sup>70)</sup>, nec Troianis solum, et in iis Hectori \*), sed pluribus inter mortales, datum; ex quo seruitutem sub homine equus reperit, coactusque frenos licet inuitus, patitur <sup>71)</sup>; ex quo imperiosos equites <sup>72)</sup>, equos sequaces <sup>73)</sup>, obsequiosos, et, si quando incaluerint, paruo regi freno faciles <sup>74)</sup>, quotidie cernimus; certo certius est, latiore equorum in laudes, quam vituperium, patere aream; vsque adeo, vt vel ipse Homerus heroum suorum equorumque inter se comparare velocitatem haud dubitet <sup>75)</sup>, et Plutarchus, de bene formanda iuuentute sollicitus, ἰππων καλῶς πωλοδαμνηθέντων, et hac ratione εὐπειθῶν γενομένων τοῖς ἀναβάλλαις, ad imitandum iuuenibus exemplar proponat <sup>76)</sup>.

Nulla tamen magis tempore dignitas huius animalis et praestantia elucet, quam illo de quo Virgilius canit:

Nunc tempus, equos, nunc, poscere currus,  
bellico nempe. Et sic tandem in equum bellatorem, seu militarem, incidimus. Prima quidem vox Taciti est, in aureo, quem de Germaniae moribus conscripsit, libello <sup>77)</sup>, nobiles inter Germanos adolescentes principum suorum liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victtricemque frameam, exigere solitos commemorantis. Quae bellatoris denominatio naturae huius animalis eo videtur accommodatior,

quo

\*) L. 4. §. in f. π. de aedil. edict. 67) quod sacrifier des hommes à des chevaux dixit Auctor epistolae gall. scriptae sur les chars anciens et modernes, Lond. et Par. 1771. 8. Fit tamen plerumque equitis culpa, cui etiam imperitia adnumeratur, §. 7. I. de leg. Aquil. 68) Tragoediam huius nominis memorat Cicero Ep. ad fam. L. 2. ep. 3.

69) Ouid. Her. IX. 67. 4 70) Scut. Herc. 346. \*) Il. δ. p. m. 134 l. 3. X. p. m. 778. l. 32. 71) Phaedr. L. IV. f. 3. 72) Claud. in Fescenin. p. 3. 73) Ouid. Her. XIX. 12. 74) Sophocl. in Antig. 75) Il. J. p. m. 236. l. 36. et o, p. m. 532. l. 21 76) de puer inst. c. IV. §. 13.

77) XIV. 5.



quo magis veteribus creditum fuit, bellicosi quid equis inesse: ita quidem, ut temporibus illis, quibus auguriis adhuc euentus rerum metiri solebat hominum genus, Elissa, Carthaginis conditrix, non alio loco quam quo <sup>78)</sup> regia Juno.

Monstrarat caput acris equi, nouam hanc ciuitatem condi vellet; fore bello egregiam per saecula gentem, quae urbem illam incoluerit, inde augurata.

Quum vero iura edocto erubescendum sit, sine lege loqui <sup>79)</sup>: eundem equum bellatorem insuper militarem diximus, fulti auctoritate Legis XII. §. 1. π. de re militari, ubi quidem equi militaris diserte fit mentio, extra prouinciam non temere ducendi. Idem sane equus, licet non nominatim, ita tamen, ut dignosci facile queat, in nostro Legum corpore pluribus adhuc in locis conspicuus est. Quibus quidem in legibus et illa nobis est, qua Honorius et Theodosius Augusti decuriones et silentiarios a tyronum equorumque praestationibus immunes haberi volunt <sup>80)</sup>.

Quod vltimum licet ad angarias, parangarias et paraueredos, quibus constat Imperatores non ad bella solum, sed et ad alia negotia expedienda, veluti ad litteras perferendas, vfos fuisse <sup>81)</sup>, eorumque praestationem, omnibus alias, ne sacro-sanctis quidem ecclesiis exceptis, incumbentem <sup>82)</sup>, remissam trahi quodammodo posse videatur, per L. 3. C. de fil. et dec.: tamen adiecta Lege II. tyronum vox <sup>83)</sup>, inque modo citata Lege III. aperrissima Augustorum Theodosii et Valentiniani mens, non prisca tantum renouare militum priuilegia, sed et alia aliis insuper cumulare volentium, de equo illic militari sigillatim sermonem esse, nos dubitare haud patiuntur. Clarior est equi militaris in Lege IV. pr. π. ad Leg. Jul. Maj. commemoratio, qua Scaeuola Ictus eum, cuius opera, dolo malo, hostes populi Romani equis adiuti erunt, cuiusue opera, dolo malo factum erit, quo magis iumenta hostibus populi Romani dentur aduersus rem publicam, lege Julia Maiestatis teneri pronuntiat.

## B 3

## Equi

78) Virg. Aen. Lib. 1. v. 448. Justinus XVIII. 5. in fine. 79) Nov. XVIII. c. 5.

80) L. 2. C. de silent. et decur. 81) Guther, de offic. domus august. L. 3. c. 14. p. 629. seq. et l. vn. C. de tractoriis et stauis. 82) L. 11. C. de SS. ecclesiis. <sup>83)</sup> Et sic etiam L. vit. §. 3. π. de mun. et hon. de equo militari loquitur.

Equi vero militaris hic voce, non eos tantum equos noratos volumus, quibus proxime ad bellorum necessitates vtuntur, qui iisdem infident, superioris aut inferioris ordinis, milites: sed et quum aequae in hostico deprehendantur<sup>83</sup>), illos, qui armis<sup>84</sup>), hodie tormentis bellicis, glandibus illis letiferis, commetui, frumento, omnique alii adparatui, ac impedimentis, quae dicunt, castrensis vehendis inferuiunt, et sigillatim equi agminales<sup>85</sup>), Gallis chevaux de charge et de bagage, adpellantur.

Ex quo scilicet feralis illa, et augendis potius, quam tuendis possessionibus intenta mortalium animos libido incessit, qua ad mala aliis inferenda procliues, tum sibimet ipsis de subsidiis eum ad finem facientibus dispiciendi, tum aliis aduersus hanc vim se suaque defendendi necessitatem imponere; quod vltimum Horatius haud ineleganter dixit, non inultos equitare hostes finire<sup>86</sup>): nihil frequentius omni aevo fuit, quam videre conscriptam hominum multitudinem, veluti Cadmeos fratres, non pedites solum inter se digladiari; sed etiam, perinde ac si, non aduocatis eadem ad praelia animalibus, ad certamen quidpiam deficeret, iumenta] in hostes agere, Bucephalos<sup>87</sup>) ad bellica instituta erudire, atque cum viris adeo equisque decertando, maximum illum et vel prouerbio locum facientem, aduersariis nocendi conatum quasi palam manifestum dare.

Sunt certe varia certaminum genera, ad quae non nisi equitum praesidiis vti res ipsa suadet: veluti ad continentum nostrum, rumpendum hostium agmen; ad persequendos, simulatque terga dederunt, aduersarios; ad leuiiores illas velitationes, et quae sunt eius generis alia<sup>88</sup>).

Sane si, quod res est, fateri licet, equitatu semper, non nostra tantum tempestate, sed et antiquissimis temporibus, palmam prae peditatu delatam fuisse, vel ex ipso legum ciuiliu[m] corpore abunde constat. Quapropter, licet magistri tum equitum, tum et peditum, in eodem virorum illustrium gradu constituentur: illos tamen his, peditu[m] equitem, tantum non vbique praepositos cerni-

83) arg. L. f. π. de test. mil. 84) L. 7. C. de fabricensib. 85) l. vlt. §. 21. π. de mun. et hon.

86) Od. L. 1. od. 2. p. 51. 87) Equus Alexandri cur dictus Bucephalus, inquit Borremansius Var. lect. c. 19. p. 254. seq. 88) v. c. ad struendas hosti infidias, Tac. Annal. II. 19. 3. ad torneamenta olim ludosque nostros equestres, v. Engau elem. j. germ. L. 1. §. 134. 137. sq.

cœrnimus<sup>89)</sup>: ita tamen, vt, quum ad priuatam contingeat eos redire fortunam, is esset potior, qui prior in promotione, et codicillorum adeptione inueniebatur<sup>90)</sup>. Et quem historiae Romanae vel leuiter peritum praeterit, ea aetate, qua Reges omnem potestatem habebant, Tribunum Celerum qui equitibus praecerat, secundum a regibus locum obtinuisse\*), exactisque regibus, quotiescunque dictatoribus ad tempus summa apud Romanos potestas obtingebat, hos magistrorum equitum sibi elegisse, qui secundam post eos potestatem gererent<sup>91)</sup>, et deinceps, regimine rei publicae ad imperatores perpetuos translato, ad similitudinem Tribunorum Celerum ac magistrorum equitum, a principibus praefectos praetorio institutos, atque in supremo, et ab imperatorio culmine secundo magistratu constitutos fuisse<sup>92)</sup>?

Ita et olim in Germania equitatum tantum non fuisse agmen nobilem, sub imperiis ducum comitumque in aciem prodeuntium, non facile, nisi in historia patria profus peregrinus, inficias ibit.\*) Hinc est illa equestris ordinis summa inter Germanos Romanosque ab omni aevo dignatio, vt vel ipse Augustus nihil amplius, quam equestri familia ortum se scripserit, referente Suetonio<sup>93)</sup>; equitibus scilicet secundo a senatoribus, et sic medio inter Clarissimos et Perfectissimos loco positus<sup>94)</sup>. Hinc illa veterum Germanorum, vxores non crepundiis, quibus hodie mos est, sed, inter alia, equo frenato, in ipso matrimonii introitu donandi consuetudo<sup>95)</sup>. Inde honorifica caballarii, quem hodie Chevalier, Ritter, dicere solemus, denominatio<sup>96)</sup>, et caballariornum apud Fresones ad placitum Caroli M. vocatio<sup>97)</sup>, atque pagensium Francorum, qui caballos habebant, commemoratio<sup>98)</sup>. Hinc eques medio aevo militem designabat, cuius tanta erat apud veteres dignatio, vt armigeri omni hunc ad gradum nisu adspirarent. Vnde etiam Regum Ducumque potentissimos, in triumphalibus illis statuis, non folio, sed equo insidentes conspiciamus: quem quidem morem non nudius tertius demum irrepsisse, verum perantiquum inter gentes esse,

89) Veluti in L. 8. §. 1. C. de def. ciu. L. 1. et 2. C. de app. mag. l. 5. §. 1. π. de re mil. 90) Secundum L. 1. et 2. C. de praef. praet. \*) l. 2. §. 15. π. de or. iur. 91) l. cit. §. 19. d. t.

92) L. vn. π. de officio praefect. praetor. \*) V. Titius specim. iur. publ. R. Germ. L. IV. c. XI. §. 36. pagin. 496. sq. 93) In vita Aug. c. 2. 94) lac. Gutherius de off. Domus Aug. L. l. c. V. p. 28. l. vn. C. de equestri dignit. 95) Tac. de M. Germ. 18, 3. 96) Engau El. I. Germ. L. l. §. 94.

97) Cap. Regum Francorum apud Baluz, T. l. pagina 460. 98) l. c. p. 186.

vel ex vno illo, quem Statius sua iamdum tempestate cecinit, Max. Domitiani equo <sup>99)</sup> cognosci potest.

Neque videtur immerito hunc tulisse honorem animal, cujus velocitatem, \*) cuius acrem praesentissimumque in praeliis animum, et insignem ad omnes belli artes docilitatem, quotquot in castris meruere, depraedicant. <sup>100)</sup> Lepida est et amoenitatis plena, quae in fabulis Aesopiceis <sup>101)</sup> nobis sistitur, imago equi affluenter ordeo pasci, caute semper ac eleganter habiti, atque cutis nitore, membrorumque obesitate curam in se herilem gratiamque praeferebat, et ob id inertissimi animalium in se invidiam prouocantis: quod tamen sententiam mox mutasse fingitur, quum, armis opertum, hero insidente, adparari ad pugnam, et, acriter saepe calcaribus vexatum, in hostium turmas agi, vulneratumque inde, ac graui casu collapsum, animam afflictam vix trahere, eundem vidisset.

Quum tanta igitur sint, in quae equum bellatorem praecipitem ire cernimus, vitae discrimina: Veteres, in doctrina furti, quod contrectationem non rei tantum ipsius, <sup>102)</sup> sed et eius vsus, cum furandi animo coniunctam, <sup>103)</sup> definiebant, quando equum, gestandi causa commodatum sibi, <sup>104)</sup> longius aliquo ducentem, furtum committere pronuntiabant, id potissimum scripserunt de eo, qui in aciem equum perduxisset. <sup>105)</sup>

Ad minuenda haec et declinanda, quantum fieri poterat, pericula, ferri operimento obseptos equos pariter atque homines, aliaque ratione tectos, <sup>106)</sup> huic discrimini obiecit aetas parentum, quorum in exercitiis clibanariorum, seu cataphractorum equitum haud infrequens nomen, utpote in quibus stare maximum pugnae robur, ipsis persuasum erat. Vtebantur hi equis, quorum aere munita pectora superne, demissa lorica et crurum tenus pendens, reliquum corpus a noxa vulneris vindicabant. Quibus adeo equitibus id datum negotii legimus

99) Sylu. T. I. \*) Hinc πόδας αἰόλος ἵππος, celeripes, Il. τ. p. m. 706. l. 10.

100) Pulveris tamen pyrii impatientiam equis Maroccanis exprobrat Gundl. Disc. Eur. Staaten l. 653. 101) p. m. 192. sq. edit. Bersmanianae.

102) Inde furtiui equi L. 48. §. 6. π. de furt. 103) l. 52. §. 20. π. cod. 104)

Equum commodans militi an participet de lucro facti in excursionem? v. Petr. Bellus, in opere non contemnendo de re militari P. IV. t. 8. n. 12. folio 59. 105) §. 6.

I. de obl. qu. ex del. iuncta l. 5 §. 7. π. comm. l. 40. π. de furt. 106) v. Blasi Caryophili de veterum clypeis opus, Lugd. 1751.

legimus, ut partim arctarent aciem, partim, quidquid oppositum, sine haesitatione perumperent. Quod licet aliquando immunes vulnere praestarent, hodieque praestent, quibus inter nos eadem pugnandi disciplina, quamvis non aeque recta aduersus hostilem vim armatura: tamen et eos praecipites ire, labi relictus, femineces vacillare, aut moribundos fedilibus atineri, permixta equorum clade implicitos iacere, et reperto faucendi loco, vel iacentium pectora equorum, effreni dolore bacchantium, calce tundi<sup>107)</sup>, tragicum est, nec insolens tamen, nostra etiam tempestate, spectaculum.

Quemadmodum vero gentes ingenio inter se moribusque maximopere conveniunt: ita alias peditem, equitum alias, amantiore deprehendere licet. Sic in Macedonum potissimum exercitiis certum, equitum maxime, conspiciendum erat, quod agema adpellitabant, agmen<sup>\*)</sup>. In finitima nobis Polonia exercitus florem atque robur in equitum florentibus aere cateruis<sup>108)</sup> consistere, quis est, quem lateat? Eadem ratione, quanto magis constat, legionarios Romanorum milites pedibus potissimum meruisse<sup>109)</sup>: Gallorum e contrario equitum Caesar tanto saepius meminit<sup>110)</sup>, et in vetere Gallia eorum hominum, qui aliquo erant numero atque honore, non nisi duo fuisse genera, alterum Druidum, alterum equitum<sup>111)</sup>, memorat. Vnde non mirum, Germanos, uti, ad tempora usque Caroli quinti, erat apud eos aliquid, equestris esse dignitatis, ut quae personam vix egredi, nec conferri, nisi ingenuos maiores ostentantibus, solebat<sup>112)</sup>: ita etiam equitatu maxime valuisse, ut vel peculiaris species equi militaris, feudalem vocant, apud eos nostrae se contemplationi exhibeat.

In antiquis documentis dextrarii nomine ille venit. Sic Boleslaus Dux Silesiae, venditioni Sculteciae Rychenowiensis ita quidem consentit, quod Abbas in Henrichow, aut sui Fratres, cum dextrario minime feruire tenebuntur<sup>\*)</sup>. Sic Boleslaus Dux Monstereb. seruitium dextrariale in villa Banow eiusdem possessoribus pro LXXIII Marcis Polon. pignori dat anno MCCCXXXIII.<sup>113)</sup>

## C

## Feuda

107) Paneg. Nazarii in Constantin. p. m. 203. sq. \*) Curt. L. IV. c. XIII. et L. V. c. IV. 108) Virgil. Aen. VII. 804. 109) Quae forte ratio, cur pedites aliquando ante ponantur equitibus, v. c. L. 2. §. 5. C. de off. praef. praet. Afr. L. I. C. de off. mag. mil. 110) de Bello Gallico, v. c. cap. XLII. et passim. 111) l. c. c. XIII. §. I. sq. 112) Engau elem. iur. Germ. L. I. §. 143. Schweder intr. in ius public. part. spec. Sect. I. cap. 7. §. 6. p. 344. quod de Equitibus sacris cum primis obseruandum.

\*) V. Litteras d. d. Rychenow 1265. in die S. Epiph. Domini, apud B. Socerum, in den Beyl. zur Gräfflich Reichensbach. Geneal. n. IV. 113) apud eund. Script. Rer. Sil. T. I. p. 156. et 406.

Feuda scilicet suas Germaniae debere origines, vti res est notissima: ita vasallorum esse, pleniori obsequio, variique generis, inter quae militaria eminent, seruitiis, dominos, quos vocant, directos demereri, quam nemini non sit exploratissimum, pluribus deducere nolumus. Militaria vero seruitia armis equisque praestita, nisi res ipsa loqueretur, ex II. F. 12. intellectu facile esset.

Quod vero equos illos feudales, die Ritterpferde, <sup>114</sup>) sigillatim adtinet, negari vix potest, illos petendi praestandique morem, non tam ex iure Feudali Longobardico, quam potius a temporibus expeditionis Romanae \*) invaluisse, cui ad accipiendam Pontificis e manu coronam Imperii, ab Augustis quondam suscipi solitae, cum lecto militum numero, praesto esse iubebantur maiores Imperii vasalli, suos vicissim feudatarios eadem ad signa euocantes. Sunt tamen, quorum vero a castris alieni sumus, qui expeditionum Romanarum initia ab iis demum temporibus repetentes, quibus equum feudalem antiquiorem inueniunt, insuperque illas, hoc passim superstitere, ab usu omnino recessisse, nec non videntes, plures casus, quam solam expeditionem Romanam, equum feudalem sistendi necessitatem vasallis imponere, in alia omnia eunt.

Quibus equidem facile largiri possumus, salvo equo feudali, expeditionum Romanorum, quas a Francorum Imperatorum temporibus petendas esse, Struuius adsentimur <sup>115</sup>), institutum, iam ab aevo Caroli, inter Germaniae Augustos quinti, et sic dudum exoleuisse, adeo quidem, vt, qui a Ferdinando inde primo, ad nostram vsque aetatem, a sociatis septemuirorum suffragiis hoc Diadema tulere, indigena corona contenti, Romana superfedere se posse existimauerint. Mos tamen inde, prouti nos opinamur, ortus, ad alias etiam expeditiones bellicas trahi pedetentim, eoque tenacius retineri potuit; quo magis constat, philosophiam aulicam non fetre illud philosophorum nimis austere dictum: cessante ratione, cessat etiam, quod propter eandem potius est, quam non est.

Ad alias diximus expeditiones, bellicas tamen, istum arma vasallis equosque imperandi morem trahi coepisse. Male ergo aduersus latrones arma capere iubentur, qui praedia sua beneficiario iure tenent, Nobiles: vt proinde hic non possimus

<sup>114</sup>) Distinguendos ab illis, quibus Rustici nostri, ideo *Pferdner* alicubi dicti, dominis suis seruiunt, quibus etiam variis in locis, mortuo, cui operae iumentis praestandae, *Spanndienste*, incumbebant, colono, optimus eiusdem equus cedit.

\*) a qua iura feudalia incrementa sua cepisse, scribit a Sode heptade posuit: publico-feudal II. Posit. IV. 115) Jur. publ. prud. C. XXIII. §. III.

possimus non reminisci Bti de Ludewig, cuius in scholis beneficiarii publicique iuris adoleuisse nunquam non poenitebit, cuique, in utroque hoc iure certe laudatissimo, haud omnino displicuisse, parum adest, quin ipsi laudi nobis duca- mus; qui vir celeberrimus, vasallos quorundam S. R. I. Comitum, vt a latro- nibus purgarent prouinciam, a Comitibus aliquando sollicitatos, hanc in are- nam descendere recte noluisse, palam pronuntiabat. \*)

Cum alio vero iusto hoste, quisquis tandem ille sit, et vt ne patrem qui- dem, fratrem filiumque vasalli excipiat <sup>116</sup>) hostiliter congregi eum iubet conditio clientelaris; quod quidem perquam durum est: sed ita lex scripta est <sup>117</sup>); cuius vero asperitatem, quum diuinæ legislationi quodammodo contraria videatur, ex mente eiusdem de Ludewig, ipsius ita temperabit Domini directi reli- gio, vt crudelem hanc et luctuosam militiam vasallo remitrat, in animi, suorum arma vere detestantis, ingenua significatione tantisper adquiescens.

Enimuero quae supra de equo Romanorum militari, extra prouinciam non temere dudendo, diximus: eadem, alio licet sensu, dicenda de equestri vasallorum nostratum militia, pro aris tantum focusque, quod aiunt, decertare, legibus clientelariis iussurum; ita quidem, vt, qui eadem tum opera Domino directo patriaeque inferuiunt, expeditionis sumtus, aut singuli ferant, aut non nisi ex aerario prouinciali repetere possint; aliorum belli gerendi causa ducti gratis militare haud teneantur. Statis proinde temporibus, vel pacis inter otia, in numero suo iubeantur esse, et armorum exercitio ad bella se praeparare ge- nerosi hi equites: exemplo Romanorum equitum, ter in mense, post quinta quaque die, Imperatore quandoque scutum sua manu praeferente, sub Campi- doctore, quem vocabant, simulacra belli agere quondam solitorum. Sic vero, media in pace de bello cogitando, istud quidem efficiebatur, vt ne quando, equum bellatorem descendere iussi, cum Ramiro II. Arragoniae Rege, aequè turpiter se darent <sup>118</sup>), aut in censum venirent equitum illorum infirmorum siue imperitorum, equi <sup>119</sup>) impetum retinere non valentium, quorum, qua- damnum alicui datum, culpam lex Aquilia, haud fecus ac dolum, plectit. <sup>120</sup>).

## C 2

Exci-

\*) a lupis vero purgare prouinciam detestare non possunt, sec. resp. Fac. Jen. Jurid. ap. Mueller de persecutione luporum, Th. XVI.

116) Il. F. 28. c. fin. 117) Loquimur cum L. Prospexit XII. §. 1. π, qui et a quib. manum.

118) Si vera narrat Hübner Hist. Fr. II. 198. 119) Cui, tum sellari, tum sagmario, equitis culpa, se proripienti, et postea recepto, non est postliminium, arg: L. 2. §. 1. π, de capt. add. Grotius de I. B. et P. L. 3. c. 9. §. 14. 120) §. 8. I. l. §. 1. π, de L. Aqu.

Excitandos autem ad bella vafallos a duobus conuafallis, iura Longobardica volunt: quod tamen, a Speculatoribus seductus, male ad Imperii bella trahit Struuius <sup>121</sup>). Haec enim quum non nisi in Comitibus decerni, et sic, in facie quasi atque oculis singulorum Imperii ordinum, de belli gerendi necessitate et subsidis deliberari hodieque soleat: quid opus noua interpellatione, superuacanea certe atque otiosa, vbi sua cuique conscientia, quid faciendum, dicitur? Memorantur et alii ad bella euocandi vafallos modi, veluti per vexillum rubens, tristici coloris augurio, futurum, vt mox sanguine terra rubeat, quasi praenuntians; per malleolos in montium summitatibus incensos; per litteras domini directi ad vafallos, quae veteribus Francis Heribannus, Heersbann, dictae fuere <sup>122</sup>), quales Fridericum Placidum, Kauffungii plagio filiis orbum, ad vafallos dedisse legimus; per alios denique modos, quibus vero recensendis diutius hic immorari instituti ratio non patitur.

Exemplum vidimus, vti nouissimum, ita, quum etiam in hoste virtus laudanda, maxime memorabile, ob fidem singularem et prompitudinem vafalloorum ad arma capienda, in contigua Silesiae nostrae Hungaria. Ad seruitum equidem militaria praestanda vafallos suos Hungaros vocabat Maria Theresia, Hungariae Regina, anno MDCCXLIV. per litteras circulares, a Comite Palfy, tum Palatino Regni, die XIX. Augusti subscriptas, et per singulos Comitatus celerime distributas. Quibus tanta cum alacritate satisfecerunt Hungari, vt v. c. Comitatus Pofoniensis vafalli, post deliberationem non nisi vnus horulae, Infurrectionem, quam vocant, generalem personalem, eamque extra ipsa adco patrii regni pomoeria, mox decreuerint, cum vociferatione illa vnanimi: *Vivat Regina! ad arma, ad arma!* Quod exemplum caeteros deinde Comitatus sequutos nouimus <sup>123</sup>). Ipsa vero Regina, sine Cerere frigere, inermem autem derideri Martem, bene gnara, feudali huic exercitui, aedibus frumentariis, vnde equitibus panem et pro equis pabula promere liceret, passim exstructis, aliisque non sat armatis Comitatibus de armis, prouti par erat\*), vicissim prospiciebat.

Eodem

121) Jurispr. feud. C. XVI. §. XIII.

122) Ahasner Fritsch de iure lustrationis et sequelae c. VIII. n. VII. p. 47.

123) Geneal. Nachr. de a. 1745. P. 76. et 77. N. 1. p. 278-373. \*) F. 107. add. Vitriarius Inst. I. P. L. 3. t. 19. §. 60.



Eodem illo anno, quo Austriae, sub auspiciis Lobkowitzii Ducis, co-  
piae Regno Neapolitano tremendae videbantur, singulos eiusdem Regni Baro-  
nes, equum feudalem ut paratum haberent, regis Codicillis iussus fuisse, non-  
dum memoria nostra excidit.

Quemadmodum biennio post, Britanniae in Gallia Nobiles, Anglorum in  
provinciam suam aduentum aegre ferentes, idem consilii cepisse, illud Virgilii:  
— — — subit ira, cadentem

Vicisci patriam<sup>124)</sup>,  
re ipsa factoque expressuros, publicarum eius anni Nouellarum auctoritate hic  
referre eo minus dubitauimus: quo magis, non omnem feudalem militiam ho-  
die ab usu recessisse, exempla haec commemorata fidem ferunt.

Multipli sane titulo commendanda, atque e re publica videtur esse eque-  
stris ista militia. Vti enim bellicosi illi Principes, qui cum innumeris militum  
gravi aere conductorum cateruis in aliena se territoria hostiliter effundunt, vere  
dici possunt exercere pretiosa odia, et constantia magno<sup>125)</sup>: ita vix leuiori  
sumtu a vastatione vique hostili defenditur provincia, quam a Vasallo milite;  
quem scilicet non mercede duci, non spoliis inuitari, sed singulari genitalem\*),  
in patriam charitate hoc defungi munere cernimus; cuius insuper omnes adi-  
tus et secreta viarum, si quis alius, bene nouit, proque aris, quod aiunt, et  
focis, pro domo sua, pro coniuge denique, liberisque, quibus omnibus, nisi  
aduersariorum vires frangantur, saluis esse non licet, eo fidentius pugnare cre-  
ditur: quo magis suorum sanguine Maiorum purpuratum et designatum videt  
ad hanc militiam iter.

Sed quemadmodum plantarum quaedam, e nativitate alienum quum in solum  
transferuntur, aut omnino exarescunt, aut a prisca sua bonitate magis minusque  
deficiunt: ita, feudalem si equitem, potissimum pluribus et provinciis collectum,  
nec armis satis, quod antea monuimus, exercitatum, eundemque fors dimi-  
cantem, cum perpetuo milite nostro mercenario contuleris; quanto hic illum  
interuallo post se relinquat, intellectu facile est. Videre equidem tum nobis  
videmur reuiuiscentem quasi agminis illius Perfici faciem, Curtio adumbra-  
tam<sup>126)</sup>, equitatum scilicet illum XII. gentium, variis armis moribusque, nu-  
mero magis, quam viribus formidabilem.

C 3

Nouit

124) Aeneid. L. II. v. 575. 125) Ouid. Her. Epist. VII. v. 47. \*) Verbo utor L. XIII.  
C. de Oper. publ. 126) Ill, 3, 12.

Novit Silesia, et lugubri experimento, Hungarorum Nobilium incurfionibus obnoxia, didicit, quod iam suo tempore Cicero <sup>127)</sup> de equite generatim questus est: vnam equitatus, addimus beneficiarii, excursionem perbreui tempore totius anni vectigal auferre posse. Sed digna tamen generoso milite certamina tum certe rara, aut nulla omnino vidimus: adeo quidem, vt aduersus inordinata haec agmina, perinde ac Maximianus Imperator, Mamertino (si modo is est eius Panegyrici auctor:) referente <sup>128)</sup>, non equestribus, neque pedesribus copiis, sed solo praesentiae suae suorumque terrore, quem vel vna alteraue cohors bellica numerosissimo hostii injiciebat, Silesiae limitem tutatus fuerit Potentissimus Rex noster, Victor ille atque Triumphator, Pius, Felix, Inclutus.

Quum itaque in bellis, quae foris geruntur, exigua sane sit militis generosi utilitas; plurima vero bella, aut statim ab initio talia sint, aut saltem, profligato hoste, talia incipiant esse: Nobilibus hanc bellatoris personam, quam feudalis lex iis quondam imponebat, plurimis in locis detractam hodie deprehendi, equis mirabitur? Scilicet iam olim vasallo liberum erat <sup>129)</sup>, quo minus ipse veniret, senio, morbo, aut quacunque demum ratione, impedito, alium quempiam, Domino tamen haud ingratum pro se mittere, aut dimidiam tertiamue partem annui ex feudo redditus eidem soluere. Hostentitiae sigillatim vocabantur haec, quae, vicariam seruitiis pecuniam substituendo, domino ferebantur suppetiae <sup>130)</sup>: vnde hodierna significatio equi feudalis, des Ritterpferdes, deriuanda videtur, qua vectigal aliquod perpetuum, sine annuum reditum \*, quem ex feudo domino directo soluere tenetur vasallus, vox haec designat.

Quantum vero hoc nomine quotannis soluendum sit, in Imperio Romano-Germanico, sub titulo der Römerronate, Imperii sic dicta Matricula <sup>131)</sup>; in

127) pro L. Manil. VI. 8.

128) in Syllog Paneg. p. m. 259. 129) II. F. 26. c. si quis decesserit II, F. 54-55. c. firmiter.

130) II. F. 40. c. similiter. \*) Haud alius generis exactiones illae videntur fuisse, quas Boleslaus I. Dux Suidnicensis suis et ex fratre nepotum vasallis primus imposuit. Pohlius enim in Ann. Vratislav. Mftis (apud B. Socerum T. I. Script. rer. Sil. p. 390), postquam exposuerat, Boleslaus habe Ritterpferdedienste auf dem Lande aufgebracht, rationem hanc addit: damit ein jeder befehnter wisse, wie hoch er seinem Fürsten NB. jährlichen und in der Noth zu dienen schuldig sey. 131) quam Corpus iuris publ. acad. Strunianum, et E. F. von Herden Grundveste des heiligen Römischen Reichs, in fin. exhibent. Addatur, vir aetate doctrinaque venerabilis, Moserus, compend. iur. publ. Germ. L. V. c. XV. §. 25. p. 421. sq.

in Comitatu Mansfeldico Litterae Inueſtiturae, der Lehubrief; in Ducatu Magdeburgico die Rittervolle, in Ducatu Saxo-Vinariensi das Hanniſchbudy; vno verbo, litteris inueſtiturae ea de re ſilentibus, Regiſtra luſtratoria, vel codicilli militares, die Muſterregister, Muſterrollen, diſerte enunciant<sup>132)</sup>: equo interim feudali Brandenburgico XL. Imperialium ſummam non excedente<sup>\*)</sup>.

Manent fundi, eiſmodi praeſtationibus obnoxii; mutato licet ſeruitiorum genere, nihilo minus feudales, et, quamuis, quod ad feuda, quae in manu ſunt ſereniſſimae Domus Brandenburgicae, ſpeciatiim adtinet, per Litteras patentes Regias, datas Berolini a. MDCCXVII, die V. Ianuarii, videri vtique poſſet, ea antiquata omnino atque aboliſta eſſe<sup>133)</sup>: tamen, ex quo Adoha, ſiue adacratio ſeruitiorum equeſtrium Regi Potentiſſimo placuit, in feuda cenſualia, id eſt certam, vti diximus, pro ſeruitiis Domino pecuniam pendentia, eadem ſicabiſſe, verius eſt. Pleniffima, eademque taciti pignoris iuribus vallata, pro his praeſtationibus ſecuritate in fructibus, quid quod? in ipſo fundo feudali, gaudet Dominus, cui, ſi quando vaſallum, debito hoc nondum ſoluto, mori contigerit, cum heredibus agendum, primo quidem allodialibus, quum cenſus iſte e prouentibus feudi, qui ad allodium ſpectant, proprie debeatur, adeoque, eo nondum perſoluto heredes allodiales iuſto inueniantur locupletiores: ſi tamen hac ratione dominus indemnitate confequutus haud fuerit, heredi etiam feudali cenſum nondum ſolutum oneri eſſe, ambigi non poteſt.

Nec temporis aliqua praeſcriptione excluditur dominus; vt ne tanti quidem temporis indulgentia, quanti in praediis ruſticis cenſus praeteriti exactiorem penitus exſtingui videmus, iuſtae eius petitioni officiat. Vinculum enim iuris, quo vaſallus ad ſoluendum domino feudali cenſum adſtringitur, rem potius, quam perſonam, ligat.

Quod quidem vsque adeo verum eſſe exiſtimamus, vt ne domino quidem ipſi directo, vile fundi feudalis dominium emtionis, vel alio titulo acquirenti, in fraudem caeterorum vaſallorum, hoc eundem onere exſoluere liceat. Qua in re quum nihilo ſecius, refragante licet iuſtitia, vaſallorum patientia tentata alicubi fuerit: aegre ſaltem dominus directus ferre haud debet, ſi caeteri vaſalli mani-

132) Ahaſii, Fritſch de iure luſtrationis et ſequelae c. IV. n. 9. p. 34. \*) In Phil. Guil. Gerkenii Fragment Marchic. P. IV. p. 96. v. catalogum equorum feudalium Veteris Marchiae de a. 1623. Götting. Anzeigen 1759. n. 93. 133) Europ. Fauna P. 199. p. 582. ſq.

manibus, quod aiunt, pedibusque obnixè omnia faciant, quo minus haec consolidario fiat, aut, ei, nihil contra obmouere valentes, animo saltim votoque contradicant.

Neque vero, re bene putata, vasallus sic iniuriam illatam sibi existimare potest, quod arma ipsi et equi adempti; quale quid rebellibus, aut quibus probri aliquid vel ignominiae inesset\*), aliquando poenae loco obrigisse, Historici memorant <sup>134</sup>), quum, quae eadem statuuntur, eorum alia possit esse atque alia ratio: aut otia sibi facta, laboribusque interdictum dolere, quibus induretur animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahatur; quum bellatoris equi fodere calcaribus arnos <sup>135</sup>), atque adeo sagarus rem publicam iuuare, modo saltem nostrorum faciei temporum conueniente, nullibi prohibeatur: aut de onere conqueri, perpetuo nunc et ad pacis quoque tempora tracto, quod quondam non fuerat, nisi belli sequela; dum modo id pensi habuerit, quam leuis sit, ad hostenditias veteris aevi relatus, nostrorum temporum census; quam iustum sit, etiam in pace de bello cogitare, et quam exoptatum vasallo esse debeat, duorum forsitan dissidentium inter se, et ad arma adeo venientium, Principum vasallo, sine alterutrius offensa, pecunia utrumque iuvare posse, tricis illis atque difficultatibus antiquorum temporum iam expedito, quibus vel antiquiori <sup>136</sup>), vel primo excitanti, alteri vicario dato, nisi vnus fuerit vasallus ligatus, seruire, lege feudali iuebatur.

Et haec sunt illa, quae de equo bellatore, seu militari, pro instituti ratione scribenda nobis visa sunt. In quibus quum lectorum omni ex parte calculos nos vix ac ne vix quidem laturus facile praeuideamus: operam tamen oleumque haud omnino perdidisse existimabimus, si, quum scribenda facere, fatorem nobis inuidia negarit, saltem aliquo modo legenda scribere, benignior nobis fors concefferit. <sup>137</sup>).

His praemissis, ea iam curare animus est, quae ad honorem Viri clarissimi, quem et ipsum equestri dignitate condecoratum voluit sacratissimus Imperator Carolus VI, beatae memoriae Soceri, pertinere arbitramur; quod quum, praeter doctissimum Leuschnerum, qui specimine III. Analectorum ad Olai Bor-

\*) Puettmannus, interpretationum, quibus quaedam iuris Romani capita explicantur, libro, c. 9. praetorem. Iuven. Sat. II. v. 193, hoc sensu caballorum praedonem dici existimat, refutato Gronovio. 134) Iustin. I, 7. 135) Virg. Aen. VI. 881. 136) II. F. 28. c. contra omnes. 137) Plinius Epist. L. VI. epist. XVI.

Borrichii dissertationes de poetis, hanc chordam breuissimis tetigit, actum a nemine hucusque fuerit, et pro necessitudine nostra, et pro dignitate ipsius facere eo magis debemus, quo magis mors B. Fratris luctuosa nec opinata, et nostrae nos mortis, quae in aetate adeo prouecta haud procul esse potest, iterum iterumque admonet, neque in diem differre officium finit, quo generum nondum functum de praesidio et statione vitae huius decessisse, impium foret. Fridericus Guilielmus a Sommersberg, Regiae Ciuitatis Vratislauenſis Supremus et Consul, et Camerae Praefectus, inter Senatores Senior, Templique Maria-Magdalenaei, et Xenodochii, cui a SS. Trinitate nomen, Curator meritissimus, Vratislaviae, quam postea opera, consilio, auctoritate, tantopere iuuit, quaeque tot iam iam viros, omni aeuo memorabiles, genuit, natus est die XI. Iulii, A. R. S. MDCXCVIII, patrem nactus Georgium Fridericum, Mercatorem Vratislauenſem, bonae notae et famae, matrem vero Annam Catharinam Schwabiam. De gente, vnde ortus, ipse quidem hac ratione certiores nos facit: "Maiores paterni Nobiles Bohemi, Hussitico bello, exules, ob fugae tempus, nomen, Sommer, adsumunt, quorum primus in Silesiae montanis obiit circiter anno MCCCCLXXX." Parentibus in prima infantia, patre nominatum, Georgio Friderico, d. XIV. Aprilis A. MDCC. orbatu, quid de se ageretur, per aetatem scire non potuit. Apud auiam educatus, tutores quidem nactus est, a fide et integritate commendatissimos; qui tamen, ipsi rudes litterarum, in stadio, quod sibi proposuerat, adolescentem, cui vero, vt sponte currenti, calcaribus non opus erat, multum adiuuare non poterant. Hinc, nemine cohortante, ipse, summae spei, summae indolis, iuuenis ad litteris operam dandam natura sua duce et auspice adeo usus est, vt vel inde, quantam vim ingenii bonitas habuerit, intelligi possit. Neque tamen ambigitur, quin mirifice profuerit ad hanc metam contendenti, iuuenemque ad omnia praeclara natum magis magisque accenderit Gymnasium patrium Elisabetanum, in eiusque Doctoribus vnus omnium doctissimus ille Krantzius, apud quem, vtinam per longius tempus! litteras didicisse, et nobis gloriae duceimus, Amoris et obseruantiae in Krantzius suum singularis testes producere liceat tam poema latinum, eius in honorem typis mandatum, quam commentationem litterariam, praeside celeberrimo quondam Menzio, Lipsiae publice defensam, et Grassio suo ac B. Krantzio sollempniter dedicatam. Suae quamuis Patriae amantissimus, hanc tamen et Gymnasium patrium cum nobilissima Academia Lipsiensi commutare A. MDCCXVI. nullus dubitauit, d. V. Maii, fasces tenente Vlrico Junio, in ciuium numerum relatus. Animi ad studia altiora satis superque praeparati testimonium maius adferre nequeo, quam quod adeo mature,

D

annos

annos non nisi XVIII. natus, eodem scilicet, et sic primo tirocinii sui academici anno, praesidente B. Menzio, ut ante diximus, dissertationem, cui titulus: Socrates nec officiosus maritus, nec laudandus paterfamilias, e cathedra cum laude propugnauerit. Incepta ut strenue perficeret, anno sequenti MDCCXVII, B. Gebauro, Amico suo ad tumulum vsque intimo, confictus litterarii moderator, de M. Agrippa dissertationem doctissimam publico examini exposuit. Ex litteris, quas Gebauro a. MDCCXLVII. d. X. Aug. ad B. Socerum dedit, in quibus auctorem dissertationis huius se esse negat, varia tamen interiecto deinde tempore ad marginem notasse, eaque, si nouam editionem adornare B. Socero volupe esset, huc transmittere se velle significat, hanc opellam non Praefidi, verum Respondenti, debere orbem eruditum, in propatulo est. Anno MDCCXVIII. febre acuta catharrhali in maximum periculum et extremum pae-  
ne discrimen adductus, ita tamen conualuit, ut sequenti a. MDCCXIX. Lipsiae valedicens Viennam contendere posset, quam tamen eodem anno relinquere, Lipsiamque denuo petere, vrbis huius amantissimus, statuerat. Hanc tamen valde mutatam esse voluntatem, non mirabitur, qui dotes nouit eximias nobilissimae Virginis, Annae Catharinae Schirriae, celeberrimi Melchioris Goldasti ab Haimansfeld, A. MDCCXXV. orbi erudito, cuius inter principes Historicos referendus, morte erepti, ex fratre proneptis: cum quae Viennae d. XXIII. Nouembris eiusdem anni auspiciatissima copula coniunctus, in Patriam remigravit, ambabus, quod aiunt, vlnis a gentilitate sua digna cum Vxore receptus. Nec consilii poenituit virum ad suprema in patria vrbe munia obeunda natum quasi destinatumque. In oculis ferebat, idque ex merito Vxorem, qua praestantio-  
riorem inuenire non potuisset, quaeque mariti sui, propagandi generis sui au-  
dissimi, votis quinquies enixa satisfecit. Filius tamen, quem vnum sustulit, Matthias Friedericus Guilielmus, cum duabus sororibus, praecoci morte pater-  
terna in luctum gaudia conuertit. Neque caris superesse parentibus fata volue-  
re, nisi duas filias, Christinam Elisabetham, et Annam Catharinam, quarum illa,  
quae in viuidissimo aetatis flore magna de se Parentibus, quorum oblectamen-  
tum erat, Patriaeque spondebat, a. MDCCXLIV. praematura morte ex hac  
vita migravit; haec a die inde XXIII. Iulii Anni MDCC LX. coniugii nobis vin-  
culo adnexa, vltima gentis suae suorum funeribus vna superuixit. Verum annus  
hic, quem supra diximus, MDCCXIX. non tantum taedis B. Soceri nuptialibus,  
sed et insigni poemate heroico, eodemque vernaculo, quod inseripit: Glück-  
liches Schlesiens, oder Heldenthaten Kaiser Karl VI, Lipsiae hoc quidem anno  
in forma quarta typis exscripto, clarus exiit. Nec praetereundum hic,  
anno sequenti MDCCXX. d. XXIV. Iul. Carolum Fridericum, Lineae Olfnenis  
Ducem

Ducem Wuerttembergicum, B. Socerum, quem dignitate Consiliarii in Regimine et Senatu sacro, cum salario annuo et annona officiali (Deputat) condecoraret, dignum habuisse. Ne molesta videatur oratio de suis nimis gloriose differentis, quae Dux Clementissimus B. Socero de magnis rebus mandata, litteraeque, quas ad eum dedit, quam graciosus apud eundem fuerit, abunde testantes, in obscuritate et silentio repositae sunt. Illud tamen taceri nequit, B. Socerum, Patriae suae amore permotum, A. MDCCXX. carmine epico latino Silesiam ante Piastrum Vratislaviae edidisse; et, non contentum, Augustum suum carmine vernaculo celebrasse, anno sequente ad enarrandas simili opera Illustris Gentis Schafgotschianae origines laudabiliter adcessisse. Hoc equidem, demtis, quae Titulum tabulamque genealogicam complectuntur, foliis, LXXXIII. paginarum opus, ut ex externo se habitu commendet, in charta pergamena affabre scriptum in Bibliotheca gentilitia Hermsdorfiana hodiernum adseruatur. Praeterea certum, eodem B. Socerum anno operis cuiusdam, sub nomine Daciae elaborandi edendique consilium cepisse, de quo tamen eiusdem in schedis nihil reperire licuit. Causa irriti huius consilii forte haec, quod aut illam Martini Opitii nostri Daciam antiquam et schedas eo pertinentes nullibi indagare potuerit, aut quod historiam patriam peregrinam, uti par est, praeferens, tum quidem ad scribendum Regnum suum Vannianum animum adplicare coeperit; quod scilicet opus, cum lemmatibus historicis et Steni descriptione Silesiae, ut et paulo post Tabulae genealogicae Ducum Silesiae, Vratislaviae A. MDCCXXIII. in forma quarta prodire. Equis ergo mirabitur, Virum in Patria sua ornanda tantopere versarum, ob sua in eandem promerita, eiusdem Metropoles Ordini Senatorio, in quo interiecto deinde tempore ad Consulatus vsque peruenire insignia ei contigit, hoc ipso anno MDCCXXIII. adscriptum fuisse? Duobus sic officiis vno atque eodem tempore digne exsequendis quum imparem se videret Vir iam tum in condendis illis amplioribus actorum Silesiacorum commentariis occupatissimus: missionem a Serenissimo Duce Olsnensi decenter petit, saluisque Consiliarii honoribus, impetrauit. Illud, quod diximus, magnum arduumque opus ante quam perficeret, tum libro, qui, curante Huberto quondam nostro, anno MDCCXXIV. in forma octava prodit, cuique titulus: *Genealogischer Schauplatz des isöherrschenden Europa*, haud contemnendo B. Spiessii foerui; tum Lexico, quod eodem anno cum orbe litterato communicauit B. Ioecherus \*); tum Lexico historico eiusque supplementis; Famae etiam, quam dicunt, Europaeae, quamdiu Rabenerus junior eandem curabat, consilium obstetriciasque manus praebuit; librorum vtilium editoribus, non medioere illis momentum

\* \*) *Gelehrten-Lexicon*, v. praef. §. 7.

hac ratione adaccessurum arbitrantibus, quantum in ipso situ erat, opitulari opemque ferre paratissimus. Sic ipsius fide atque periculo euocati ex adytis Bibliothecae Rehdigerianae VIII. Codices Mscripti Lucani, et anno MDCCXXV, Gleditschii, nouam Poëtae huius editionem parantis, ad preces, Lipsiam missi; alioque tempore Repositorii l. numerus XVII. B. Gebauero, Richardi Imperatoris res gestas memoriae prodituro commodatus est; cuius etiam in gratiam, quum Henelii editionem nouam a. MDCCXXVIII. moliretur, in praefamine vitam Henelii exposituro egregia subsidia genealogica promisit pariter congesitque. Si quod tamen libri ipsimet oblatis argumentum aut nimis speciale, aut parum utilitatis habere ei videretur, in tanta librorum copia, libros libris cumulari haud temere volebat, et eandem ob causam Codicis cuiusdam manu exarati de veteribus Silesiae Ducibus Piastacis, a Gleditschio Bibliopola hoc anno sibi commendati, editionem detrectabat. Haec illi agenti, sicque medias inter occupationes litterarias, dignitas, quam dudum promeruerat, equestris in Regno Bohemiae eique tum adnexis regionibus, largiente Diuo Imperatore Carolo VI, ipsimet obtigit. Quo tamen nouo honoris gradu nec elatus, nec ad perficiendam, quam exorsus fuerat, tam tardior segniorque factus, Tabulas suas genealogicas nonnullarum Familiarum, Principum Comitumque dignitate fulgentium, Hispanicarum, Italicarum, Gallicarum et Anglicarum, Huberto curante, Francofurti ad Moenum a. MDCCXXVIII, in forma quarta et lingua vernacula prelo subiecit: opus a nonneme vituperatum quidem, ast quod sanior lectorum censorumque pars, et inter eos Conditores Actorum Eruditorum Germanicorum, probare contra laudareque aequum esse iudicauerunt. Verum non tantum in ornandis promouendisque studiis Vratislaue, vti semper, sic praesertim post fata B. Krantzii, — cui tamen, quos succenturiatos cupiebat, plures vno, Academia Goettingensis, tum adolefscens, nobis praecepit — sollicitum se ostendit; sed etiam caeteris Patriae suae vrbibus celebrioribus, et in quibus exstantiora sunt Musarum sacra, velut e specula omnium vilitati prospiciens, eandem se sollicitudinem debere existimauit. Sic quum circa eadem tempora, anno videlicet MDCCXXVII. Academia, quae Lignicii floret, Equestris viro careret, in quo esset exitia rerum toto orbe gestarum scientia: in commendando apud Ill. Widmannum D. Barone, quumque hoc consilium effectu destitueretur, Gebauero, mirum quantum desudauit. Neque leuis tali in re ponderis debebant esse commendationes viri in hoc litterarum genere exercitatissimi, qualem scilicet Annis MDCCXXIX, XXX, et XXXII. se ostendit, edendo Lipsiae, sumtibus Hubertianis, in forma folii, opere illo voluminoso, quodque in tres tomos descripsit, praefixo titulo: Scriptores rerum Silesiacarum. Pretium, quo Codes



dices illi Mſcripti, quibus hoc quidem opere orbem litterarum locupletauit, aliaque, quibus in ſcribendo ſuperfedere haud poterat, ſubſidia redimenda, et ex obſcuris angulis ac latentibus forulis protrahenda erant, quae ad perficiendum ſplendidiffimum opus pertinebant — apochas ſolutarum hoc nomine pecuniarum aliquot teſtes eius rei habemus. pretium hoc, inquam tantum utique erat, ut B. Auctorem laborem ſuſcepiffſe pretioſum magnoque conſtante\*) vere dici poſſit. Indemnem tamen quodammodo praestabant virum ſua pro vrtilitate publica profundere non dubitantem honorifica Menckenii et Ioecheri, ſuis in Actis de hoc opere ſuffragia, clariffima, quo loco inter eruditos habitum hoc opus, teſtimonia; quae certe veritati magis quam amicitiae ſtudioque cuidam partium data eſſe — licet B. Gebauerum calamum hic ſumiffſe negari haud poſſit e conſona plane Mauclerquii Tomo XXIV. Bibliothecae Germanicae ſuffragatione diſpaſceſcit. Qui quidem amiciffimus virorum eius rei intelligentium concentus cenſuras huius operis Fueldenerianas, laudatiffimus Auctor, gloriae videlicet non adeo adpetens, neque auidus laudis, ut parui penderet, effecit: licet inſicias ire haud poſſimus, illum ab amico talem enim Ariſtarchus iſte plurimis ſe litteris profeſſus erat male ſe habitum, perquam aegre tuſiſſe. Hiſce maleuolorum, cum quibus tamen ideo certamina ſerere ſe indignum putabat, artibus, a ſtadio, quod ſibi emeriendum proſerarat, ſe abſtrahi haud paſſus, dubium eſt, vtrum libri illius, qui Francofurti ad Moenum anno MDCCXXX, in publicum emiſſus eſt, cuique titulus inditus: *Hiſtoriſcher und genealogiſcher Schauptaſſ des deutſchen Reichs*, B. Socer auctor ipſe fuerit, an tanquam autographi alieni procurator, illud Huberto noſtrati hunc enim e manibus Sommersbergianis idem accepiffſe doceri poteſt tradiderit? Tanta ſcilicet erat, ut generaliter dicam, B. Viri apud Eruditos ſuae aetatis primi ordinis gratia et exiſtimatio ut in vnum omnium ora atque oculi eſſe conuerſi videntur: quorum etiam in numero illis, quibus haud adeo lautum patrimonium, de ſuo impertiri haud raro ſolebat; in augendo praefertim nummophilacio Gebaueriano liberaliffimus. Meminiſſe hac occasione liceat muneris illius litterarii, quo Euch. Gortl. Rinckius ſuam in B. Socerum obſeruantiam teſtatam voluit, et ad ſingularem illam fiduciam prouocare, qua, in cauſis ad hiftoriam et ad fines eidem ſcientias pertinentibus, ad eundem, veluti ad ſacram anchoram, confugebatur. Sic L. B. a Schwanenberg A. MDCCXXXII. in cauſa nauigationis Bohemiam inter et Saxoniam Electoralem controuerſa, eius conſilium petere, haud dedecori ſibi eſſe iudicauit. Anno MDCCXXXIII. Gleditſchius, Bibliotheca Lipſienſis, dubia quaedam geographica, quorum Ill. ab Herzberg, Con-

D 3

\*) Ou. Her. Ep. VII. v. 47.

filiarius Regis Daniae Prouincialis, resolutionem flagitauerat, ad resoluendum B. Sommersbergio propofuit. A. MDCCXL. Generofus a Prinzendorf, vt Priuilegium Iohannaicum, datum a. MCCCXXXVII. in craft. Annunc. Mariae, fecum beneuole communicaret, precibus ab eodem contendit. In uolumen abiret ifta, taediumque lectoribus adferret, tractatio, fi omnes figillatim enarrare uellemus, quibus fumma huius Viri in campo historico peritia caufis in dubiis portus et refugium fuit. Liceat faltem ampliffimi illius litterarum commercii, ad Petropolin vsque extenfi, adhuc meminiffe, quod ipfum inter et primores in ciuitate litteraria fuae aetatis viros, Matthiam Belium, Paulum Bornagium, Dithmarum, Geo. Chrif. Gebauerum, Ioecherum, Gottl. Krantzius, Joa. Jac. Mafcouium, Mauclerquium, Io. Burch. Menckenium, Frid. Menzium, Mollium, Chrif. Rungium, Scharffium, Io. Chrif. Schindelium, Vollandum, Gottl. Ifr. Volkmannum, Ill. a Widmann, aliosque, iugiter interceffuit.

Nec in magiftratu, quem gerebat, grauiffimo, eundem fpem ciuium atque expectationem fefelliffe, quum omnia ita palam facta fint, vt latere vix quenquam poffit, vos testes facimus, veftro id testimonio comprobatum volumus, quibus Viri omnium fuorum officiorum obferuantiffimi exubiae faluti fuere. Neque finit verecundia plura dicere. Verendum enim, ne gener videatur pie magis, quam vere, laudaffe, nifi priuatis laudibus publicas iunxerit. Loquantur porro pro nobis, tum Autographum illud, in forma folii, quo Vir laboriofiffimus, quae annis MDCCXXXIV. et XXXV. in Iudicio pupillari acta, fua manu conftituit; tum Aedilis ipfius Vratislauienfis, liber adnotationibus, ad aedilitiam apud nos potefatem fpectantibus, refertiffimus; tum denique Reptorium illud rerum ad Curiam Vratislauienfem pertinentium, quod Anno MDCCXLII. fua manu adornare coepit. Vt Patriae, fic fobolis fuae amantiffimus licet effertamen, anno MDCCXLIV, quo, ceu fupra dictum, Filiam natu maiorem praematura morte amisit, tantum animo roboris fuit, vt orbitatis dolorem non in lacrymas muliebriter effunderet, fed in monumentum fui in eandem amoris fempiternum, ftyle vernaculo foluto concinnatum, intenderet. Cuius quidem Elogii quum omnis pagina fingulare fpiet pietatis in DEVM ftudium ardentiffimumque religionis amorem: princeps haec, et quae primo loco numeranda erat, B. Soceri dos filentio dari nequit. Concionibus e fuffeftiu facro habitis frequens, et fumma cum animi attentione intererat, ibiqte oculos manusque ad coelum tollere haud infra fuam dignitatem effe putabat. Nec facrorum domesticorum illum pudebat, licet iis temporibus viueret, quibus, crefcente in dies irreligionum grege, vel publica contemnebantur. Curam habebat aeque ac cognitio-

nem

nem rerum diuinarum atque veritatum sacratissimae religionis nostrae singularem et locupletissimam Ab anno eumprimis MDCCXLVI. omnes, quibus potiri poterat, de statu animarum post mortem libros sedulo conquisiuit. Quibus praesidiis instructus, Vir ille officiorum simul et virtutum, quae christianum decent, obseruantissimus, opellae suae, quam inscripsit: Libellus de vita et morte Christiani, animum adiecit. Et adfirmari vere potest, B. Virum hanc meditationem novissimorum, iunctam cum chronologiae sacrae studio in occupationibus litterariis sibi acceptissimis duxisse. Verum tamen, quum non polo tantum, sed et solo viuendum, bene gnarus esset, anno MDCCXLVII. cupido incessit animum, nouam parandi Scriptorum suorum Silesiacorum, quos eruditorum oculis fere ereptos obseruabat, editionem. Ast non eandem in sententiam ibat amicissimus, nec ignarus huius consilii, Gebauerus: qui potius, pro integro opere, vnum saltem, vel duo, Supplementorum Tomos in publicum dandi auctor erat. Sed ne sic quidem res omnino nobis confecta videtur. In finitis equidem adnotatiunculis, quarum quaedam fortasse momenti alicuius, tum e B. Soceri, tum e nostra aliorumque penu adiectis, marginem Tomi praesertim primi ita abundanter expleuimus, vt alicubi nouis spatium fere desit; e tomis posterioribus ad priorem suis quaeque locis adiunximus; quid? quod XII. collecti fasciculi, et ad ordinem paginarum exacte compositi, vbi eumprimis Diplomata illa, quorum non nisi breuis in margine fieri poterat mentio, aliaque huc pertinentia, magna cum cura et sollicitudine consarcinauimus. Germanica tamen libro latine scripto supplementa dare, quum religioni eo magis nobis sit, quo magis constar, quae adiici possent, diplomata fere omnia stylo latino, licet barbaro, exarata esse: ecquis bibliopola suam edendis hisce supplementis curam operamque impendere velit? Quot quaeſo lectores, saeculo, quo germanica, gallicaque praesertim lingua, regnum tenent, latina vero nec leguntur, nec intelliguntur, supplementa latina inuenient? Et cui vsui tandem supplementa Scriptores ipsos non habentibus? Sed haec haecenus et *ὅς ἐν παρόδῳ* dicta sunt. Anno MDCCCL. collectionem quandam Jurium Silesiacorum orsus B. Socer quidem est; verum intentus perficiendo huic operi, biennio post, interpellatum se vidit precibus Comitis a Muenchow, qui regionis, cui summo eum imperio praeerat, res fataque cognoscere auidissimus, id negotii B. Viro dederat, vt Tabulas, quas dicunt, Synchronisticas, videlicet Silesiorum res gestas ita, vt et omnium circa populorum acta vno quasi oculorum obtutu pateant, repraesentantes conscriberet. Quid? quod idem ille Comes primas quasdam historiae Silesiacae lineas, quas ipse duxerat, Sommerbergio suo, vt easdem et ampliaret et omnino perficeret, commendauit; quae tamen opella, post fata

Comitis

Comitis, ad umbilicum, ut videtur, nondum perducta, haeredibus eius; a qua ea profecta, retradita est. Calamo B. Viri, tot bonae notae scriptorum feracissimo, debentur etiam illi de originibus Reichenbachianis commentarii, siue *Unsterblicher Ehrenglanz des Hochgräfl. Reichenbachischen Hauses*; e quibus nonnihil se profecisse ipse faterur novissimus historiae Reichenbachianae conditor, cui inuentis aliquid addere haud adeo difficile fuit. Eodem B. feceri a calamo profectae Notae et adcessionones nonnullae ad librum genealogicum, cui Titulus: *Das igtlebende Europa*, de praecipuis per omnem Europam familiis illustribus; opus A. MDCCXLII. coeptum: nec non aliud Scriptum genealogicum, quod titulum habet: *Genealogischer Schauplatz des Schlesiſchen Adels*, secundum ordinem alphabeticum, II. Tomis in forma quarta, vbi tamen omnium atque singularum Patriae nostrae familiarum nobilium notitiam frustra quaesueris: praefertim vero Miscellanea Silesiaca ex Manuscriptis, Diplomata et Documenta ex Authenticis deprompta, ac oculata B. Viri manu ex Archetypis descripta, duabus Partibus, passim cum sigillis, et singularibus quibusdam de familiis Silesiacis, anni iamdum MDCCXXII. foetus laboriosissimus, ac insignis ad supplendos Scriptores rerum Silesiacarum vtilitatis. Neque parvi ducendae primae lineae Historiae Silesiacaе ab anno inde DCCCCCLXV. ad annum vsque MDCCCL, et dolendum saltem, huic opusculo, lingua vernacula confecto, supremam Auctoris manum, limamque illam deesse, qua sua persequi solebat Vir; quum omnibus satisfaceret, sibi ipse nunquam satisfaciens. Id quod etiam dealio quodam, quod ita inscripsit: *Schlesien ein Königreich*, dicendum omnino; quod vero, in aliam paulo formam a nobis redactum, in lucem edi, bibliopola ad id manus commo- dante, fortasse possit. Exstant porro in supellectile litteraria B. Soceri: Schedium quoddam, sub titulo: *Königlich Pfaſtiſcher Stammbaum mit Genealogiſchen Tabellen*, cui a. MDCCXIV. manum admouit; amplior illa Breslographia Heneliana cum notis eiusdem perpetuis; nonnulla ad nouissimam Imperii Rom. Germ. Historiam a Carolo inde V. ad Carolum vsque VI, cui quidem opellae Lipsiae a MDCCXVIII. se adinxerat; denique, praeter breuiiores ad historiam Hispanicam, Gallicam, Anglicam, Batavam, Italicam et Bohemicam adnotatiunculas, magna cum cura compositi, ac ad initia vsque Regni Iosephi Emanuelis perducti, de rebus Lusitaniae commentarii: quos quidem, si a B. Gebaero non praeuentus fuisset eorum conditor, adcedente aliqua lima, additisque, vbi defunt, auctoritatibus, luce haud indignos iudicauerit aequis librorum censor; aliique eius generis, partim embryones, partim elaboratores, foetus litterarij. Equis vero crediderit, tot tantisque moliminibus suffecisse Virum in officio publico constitutum, et cui fere quotidie bis Curia salutanda erat?

Quis

Quis non miretur, Virum ad scribendas Patriae ac totius pene Europae res gestas animum adpellere ausum fuisse, cui a natura, in dispendiis corporis viribus admodum parca et nouerca fere, id potius negotii datum videbatur, ut corpus illud infirmum ac debile curaret, et a vigiliis atque lucubrationibus plane abstineret, vel iis, quibus corpus robustum et valetudo secunda est, admodum dissuadendis? Verum hic plane aliter evenere omnia. Scilicet corporis valetudinisque imbecillitate tantum abest, ut a meditationibus animique laboribus se abstrahi passus sit, ut potius, Sapphus Ouidianae \*) aemulus, corporis valetudinisque damna ingenio utique rependere voluisse videatur. Verum, quantumvis cibi potusque esset abstinentissimus, et in alimentorum defectu propemodum anxius, insuper tempore aestiuo, serenis diebus, caelique temperie id permittebat, in hortis atque suburbanis DEI omnipotentis opera intuendo mirifice recrearetur; quid? quod et, domi quum se teneret, in sinu suorum, quos impense amabat, quorumque colloquiis magnopere delectabatur, placide conquiesceret; denique et medicae artis, ubi morbi id requirebat atrocitas, praesidia haud adspernaretur: tamen, crescentibus annis, intus inclusum quod latebat periculum magis magisque erumpebat, ac internarum partium infirmitates atque obfustationes in dies magis magisque, et tandem eum in modum augebantur, ut, quum Anno MDCCLVI. die XXIV. Septembris, ad speciem sanus, et plane ignarus tanti, quod ipsi impendebat, mali, nocturnae se quieti tradidisset, post duodecimam noctis horam, lethifero apoplexiae ictu prorsum prostratus, ad aeternam quietem, annos natus LVIII. cum mensibus duobus et dimidio, propemodum sine mortis sensu, transiret. Primus itaque et simul ultimus suae gentis, licet, non relicto filio, paternae virtutis aemulo, occubuerit: tamen adeo numerosam reliquit 1) ex se natam litterariam prolem, ut dubium nobis non sit, nullum tempus tanti viri memoriam gratam apud posteritatem esse oblitteraturum.

Parce, nec exagita bene partam, Zoile, famam,

Sed longe sequere, et vestigia semper adora. 2)

\*) Heroid. Epist. XV. v. 31.

1) Corn. Nep. in vit. Epamin. circ. fin.

2) Statius in fines Thebaidos.

Elogium Sommersbergianum, ex Indiculis Litterariis Goettingensibus, A.  
MDCCLVI, n. 140, art. Breslau.

„Hier hat sowol das gemeine Wesen, als auch zugleich die gelehrte Welt einen  
„besondern Verlust den 25ten Septembris erlitten, indem der um gemeine Stadt  
„hochverdiente Bürgermeister, Ober-Kämmerer, und Rathssätester, wie auch  
„der einen Hauptkirche zu St. Maria Magdalena Vorsteher, Herr Friedrich  
„Wilhelm von Sommersberg, im 59ten Jahre seines ruhmvollen Alters,  
„durch einen Schlagfluß in die Ewigkeit versetzt worden. Er hat sich sonderlich  
„um die Geschichte seines Vaterlandes verdient gemacht, und außer seinem Regno  
„Vanniano und seinen Tabulis Ducum Silesiae, in III. Tomis in folio Rerum  
„Silesiacarum Scriptores ans Licht gestellt, die seinen Namen nicht werden lassen  
„untergehen. Bey seinen vielen und wichtigen Amtsgeschäften hat er doch bestän-  
„dig seinem Hauptstudio historico et genealogico obgelegen, und seiner schwäch-  
„lichen Leibesconstitution ohngeachtet, manch Theil der Nacht dazu angewandt.  
„Wir hätten ein Werk de Regno Silesiae und eine Portugiesische Historie von ihm  
„zu erwarten gehabt. In den Scriptoribus Rerum Silesiacarum hat er einen  
„vierten starken Band zusammengetragen. Seine genealogischen, historischen  
„und chronologischen Tabellen liegen zum Drucke fertig, und wäre wol zu wün-  
„schen, da es dem Herrn von Sommersberg an trefflichen Subsidiis nicht gefehlt,  
„daß diese dem Publico mitgetheilt würden.“



\*) Herois. Epit. XV. v. 97.  
r) Com. Nep. in vit. Pompeii. c. 40.  
s) Statim in fine Theobald.









X 228.3229







Farbkarte #13

B.I.G.

81  
MEMORIAM NUNQUAM INTERMORITURAM

VIRI

ILLUSTRIS ET GENEROSISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

à SOMMERSBERG,

P. 330.  
CONSULIS CIUITATIS VRATISLAVIENSIS ATQUE SENATORIS

QUONDAM PRIMARI,

PRAEMISSA

DE EQUO BELLATORE SEU MILITARI

DISSERTATIONE,

RENOUAT ET COMMENDAT

ERNESTUS SAMUEL SACHS à LOEWENHEIM.

VRATISLAVIAE, EX OFFICINA GRASSIANA

